Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/logicessivede00unseguat

114-A

[illegible] la

[illegible] en [illegible] 46

✝

LOGICES, SIVE DE LOCIS PHILOSOPHICIS ASSERTA.

BMAE. VIRG. MARIÆ SUB TIT. DE MERCEDE

DICATA PROPUGNANDA

In Regia ac Pontificia Carolina Academia à D. D. Mariano Piſana. Tridentini Alumno D. O. M favente, ejuſ que Puriſſima Matre, necnon Sanctis Studiorum Tutelaribus ſub præſidio P. Praeſent. F. Mariani Joſephi Lopez Rayon in Sacra Theologia D. & in eademmet Academia Philoſophiæ Cathedræ per ſubſtitutionem Moderatoris.

Die Menſis Decemb. Anno Domini M.D.CC.LXXXIX.

Superiorum permissu

N. G. In Typog. apud. Vid. D. Sebaſt. de Arebalo. Ann. Dni. 1789.

(†)

HOC LIBERIORES, ET SOLUTIORES SUMUS, QUOD INTEGRA NOBIS EST JUDICANDI POTESTAS: NEC UT OMNIA QUÆ PERSCRIPTA ET QUASI IMPERATA SINT, DEFENDAMUS NECESSITATE ULLA COGIMUR.

CICERO IN LUCULLO CAP. 3.

EX PROŒMIALIBUS PHILOSOPHIÆ.

FAcultas noſtra optimé deffinitur: *Divinarum & humanarum rerum scientia naturali lumine parta.*.

Hæc primo Parenti infuſa; sed quo pacto deperdita? Quærenti exponetur.

Contendentes Academici nullam adeſſe ſcientiam, noſtram ex conſequenti profligare. Verum hoc propugnare Philoſophicum proto delirium

Hoc ab aliquo corde propugnatum negamus.

Ore Princeps Mediæ Academiæ Arcesîlas in hunc errorem lapſus eſt.

Carneàdes Novæ Academiæ Legislator veritatem in rebus agnoscit; nos eam precepturos omnino negat.

Relati immerito Socratis gloriantur patrocinio

Platonica reliquere decreta ut nova & inuſitata inducerent.

Plané noſtra exiſtit Facultas

In eaque adſunt cognitiones ſcientificæ.

¿ Verum quot ipſius partes? Diverſa Eruditorum placita in promptu exponemus.

¿ Verum quæ ſecta aliis præferenda? Potamonica ſive Eclectica. Hujuſce indolem ſic Auctor Diſſertationis de philoſophicis ſectis & de Eclectica cap 2. § 5. deſcripſit, dicens." Semel monuiſſe ſufſecerit Eclecticorum Philoſophorum nomine non alios nos intelligere, quam eos qui non rejiciunt promiſcue quæcumque ab aliis ſectis earumque capitibus inventa ſunt aut tradita, nec unius Ducis auctoritate ita commoventur, ut ejus effata & dicteria promiscue probent & propugnent omnia, ſed humani ingenii imbecillitatem agnoſcentes, quæ ab uno aut paucis quibuſdam hominibus omnes naturæ, & orationis abyſſos exhauriri nunquam patiatur, ab aliis quoque verum ex parte pervideri poſſe, junctisque viribus & communicato conſilio ſcientias augendas & ſtabiliendas eſſe ſibi perſuadent; ideoque quæ quemcumque Doctorum cuicumque etiam ſectæ aliàs addictum, præ cæteris in hoc aut iſto genere verius, aut vero ſaltem ſimilius ſtatuiſſe, aut circumſpectius obſervaſſe, aut rectius argüiſſe pervident, ea ſeligunt

„ gunt & probant, neglectis aut rejectis modeſtè cæteris. De ſuo
„ porro quantum vel experiundo, vel argumentando, vel hariolando
„ poſſunt, ſubinde addunt; in his omnibus non temerè agentes
„ quidquam, ſed vocata ubique in conſilium recta ratione, liberoque
„ ac defœcato mentis judicio; quippe quôd nec amoris erga Magiſ-
„ tros, eorumque dogmata ſingularia, qualia nulla habent, cœcus im-
„ petus; nec odium erga diverſum ſentientes, quod locum, ubi ille
„ exulat haud invenit, abripere, aut à veri tramite divertere poſſit.

Aſt hæc philoſophandi Methodus præclariſſima tot, tantaque requirit ut conſummati ſtudii fructum undique eam cenſeamus Inde volens Tyronibus qualemqualem in illa inſtructionem præbere, verbo & exemplo in præcedenti paragrapho expreſſa tradat, inter docendum monens, vel ab ipſo educta in trutinam revocare licere, nec aliter ei credere, ni ipſius momentis inveniantur convicti; quod ſi temporis curſu (utpote ad judicandum de rebus ex comparatis notitiis aptiores) falsa illis data deprehenderint, tam liberum eſſe cuique ab illis diſcedere, quam fuit Moderatori ab acceptis aliis doctrinis declinare; ſic tamen ut nec ſibi deditus corrector evadat, nec auctoribus datus lector exiſtat.

EX PROŒMIALIBUS LOGICÆ

LOgica eſt facultas præcepta complectens, quibus mens ad optime ratiocinandum dirigitur.

Errare ergo Nominales fingentes circa voces præcipue noſtram Facultatem verſari.

Finis ipſius dirigere mentis operationes

Ipſis directionem præſtatura quam plurima certa, vera, & evidentia docet, explanat, demonſtrat

Num ſpeculativa, vel practica de voce quæſtio.

Verum quid confert hujus facultatis ſtudium?

In primis extra controverſiam habendum utiliſſimum ad alias ſcientias.

Cumque hæ ut in plurimum Scholarum uſu hodierna luce ad Logicæ præcepta, & idiomata inveniantur aptatæ, parum nihilve proficeret in eis qui omnino Logicæ ſtudium ſperneret

Si

Si ad rationem ſcientiæ in ſubjecto, nedum demonſtrare ſufficiat; ſed aſſiduè ſe demonſtrare debeat ſubjectum agnoſcere, ita ut optima methodo demonſtrationem poſſit ad leges appendere, abſdubio Logica eſt ſimpliciter neceſſaria.

Quod ſi ad rationem ſcientiæ in ſubjecto ſufficiat demonſtrationem ex ſe perfectam facere, materiæ ſunt adeo obviæ faciles adeo, ut ſine Dialectica in eis poſſit demonſtratio produci.

EX IPSA LOGICA.

DE Locis Philoſophicis Dialecticam ſermonem inſtituere eò vel maxime nobis perſuaſum, quôd hujuscè Facultatis proprium noscamus mentem ad recte ratiocinandum dirigere, fontes unde argumenta eruantur ostendere, eorum vim defectusque patefacere Oblitis ergo disputationibus Sapientiſſimorum calculo inutilibus, ſilentioque perpetuo multandis, dicimus in primis:

Quod nemini dubium duplici pondere nos impelli ad diſcendum Auctoritatis nempe atque Rationis.

DE RATIONE.

RAtio in Philoſophia princeps primos Logices tractatuum fructus prope ſuo jure repetere debet. Inde de perceptis ideis, de judicio, discurſuque in ipſa peregimus, ſic tamen, ut utilibus aſſidue operam dantes, nec de Univerſalibus cæterisque hujusce furfuris ſilentium, nec de ipſis interminabiles poneremus quæſtiones. Eaque propter Tyrones rogati de logicalibus tritis doctrinis, eclectica methodo ſermonem inſtituere non renuent, disputationi ſubjicientes quæ ſequuntur.

Fideliſſimé Auguſtinus ſententiam de Platonicis ideis expoſuit.

Etsi homini naturale vocibus exprimere ſensa, quibus autem vocibus, ad placitum eſt.

Omne judicium vel affirmativum, vel negativum; verum, vel falſum.

Facciolatus, Purchotiusque de voce disceptant dum propoſitionem perhorrescunt de primo adjacente.

Propoſitiones ſubcontrariæ non ex eo oppoſitæ ſunt.

Subalternæ propoſitiones inter membra diviſa oppoſitionis prave annumerantur.

Omnis Syllogismus ſimplex conſtare debet tribus terminis.

Eodem ſenſu in ſingulis propoſitionibus Syllogismi ſummendi ſunt termini.

Medius terminus non debet eſſe in concluſione.

Nullus terminus debet univerſalius in concluſione ſummi quam in præmiſſis.

Medius terminus ſaltem ſemel univerſaliter ſummi debet in præmiſſis.

Ex duabus præmiſſis negantibus nihil poteſt legitime concludi.

Duabus præmiſſis affirmantibus concluſio nequit eſſe negativa.

Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem.

Ex puris particularibus negativis nil ſequitur.

Ex puris particularibus affirmativis nihil ſequitur.

Ex una particulari affirmativa, & altera negativa nil ſequitur.

Syllogismus in prima figura debet habere majorem generalem, minorem affirmativam.

Syllogismus ſecundæ figuræ unam debet habere propoſitionem negativam, majoremque univerſalem

In tertia figura minor debet eſſe affirmans, concluſio particularis.

Si datur quarta figura, in ea quando major eſt affirmativa, minor debet eſſe univerſalis.

Si datur quarta figura, quando in ea minor affirmat, concluſio debet eſſe particularis.

In quarta figura (ſi ſit) quando concluſio eſt negativa, major debet eſſe univerſalis.

Omnino ſtandum Peripateticis quartam figuram negantibus.

Hac admiſſa præclariſſima dogmata Neotericorum de Syllogismo corruunt.

Negamus vero Syllogismos quartæ figuræ eſſe tantum ob inverſionem primæ.

Auctoritas vel Divina vel Humana; Hiſtorica vel Doctrinalis.

PHI-

PHILOSOPHICA MOMENTA IN FAVOREM DIVINÆ AUCTORITATIS

Fatemur pulrima vel intra Naturæ metas poſita haud ad ſatietatem concipi poſſe.

Stupiditati, audaciæve inde tradimus humanum captum ab animalculis ſuperatum divina comprehendere velle.

Viribus ergo poſſeque deteſtandum putidum Syſtema negandi quidquid comprehendi non poteſt.

Ratione tenemus Deum nec fallere poſſe, nec falli.

Aſt Deum infallibilem prædicantes, Sanctarum Scripturarum antinomias noſtrum haud eſt coordinare.

Ppiloſophiæ viſceribus concluſiones inveniuntur fide, moribusve connexæ, & etiam nullam illis connexionem dicentes.

Concluſiones ergo in Philoſophia ſunt, in quibus ſalva fidei, pietatisque jactura haud ad quamcumque ſententiam optio.

DE DIVINA AUCTORITATE IN CONCLUSIONIBUS PHILOSOPHICIS FIDE MORIBUSVE CONNEXIONEM DICENTIBUS.

Naturales veritates ad æternæ vitæ conſecutionem neceſſarias Revelationis manifeſtari lumine perneceſſe.

Merito ergo á Deo revelatæ veritates prædictæ.

Suppoſita auctoritate locorum theologicorum, quam quidem controvertere ſupra noſtram facultatem & vires, ſequentia dicimus:

In concluſionibus Philoſophicis fide moribusve connexionem dicentibus firmiſſimum argumentum deſummitur à Sancta Scriptura.

Ex Scripturæ ſenſibus ab hominibus excogitatis argumentum firmum non deducitur.

Relatis, in concluſionibus Eccleſiæ, Conciliorum Generalium, Traditionis Univerſæ, SS. PP. conſenſus firmiſſima auctoritas.

Etſi relatæ concluſiones Divinis ex Fontibus poſſint argumenta mutuare, ab inſtituto aberrat Philoſophus ſi ad Divinos Fontes aſſerta probaturus, impetiturusve confugiat.

DE

DE DIVINA AUCTORITATE IN CONCLUSIONIBUS PURÈ PHILOSOPHICIS.

Impoſſibile eſt Deum aliqua revelare evidentiſſimæ rationi oppoſita.

Philoſophica evidentiſſimé propugnata dogmata Divinæ Scripturæ teſtimoniis conſtringere velle merito S. deteſtatur Auguſtinus.

Certum puto non Scripturas datas ad erudiendum homines in Philoſophicis dogmatibus.

Plurima Divinis Litteris leguntur primo intuitu Philoſophicà dogmata determinantia; verum doctiſſimorum Interpretum regulis ad res pure Philoſophicas ſtabiliendas inepta, utpote quæ purum pluchrumque redoleant vulgare fraſismum.

Cum opiniones vulgi non neceſſario à veritate aberrent, à vulgaribus Scripturæ expreſſionibus non ſemper recedendum, ſed eæ rigoroſe uſurpandæ, donec incommoda aliter ſuaſerint procedendum.

Eccleſiæ non eſt dirimere quæſtiones pure philoſophicas.

DE HUMANA AUCTORITATE IN DOCTRINALIBUS PHILOSOPHIÆ

EA eſt ſane humanæ mentis conditio, ut fallere poſſit, & falli. Ut de humana auctoritate merito dubitemus, ſufficit Auctorem fallere poſſe, aut falli.

Etſi Sanctitatis gloria nonnullos inſignitos nobis compertum, vitam præ veritate pro nihilo ducere, illos haud deceptos ex eorum ſanctitate minime colligitur.

Sanctorum auctoritas (ut cum Illuſtriſſ. Cano loquar,) ſive paucorum, ſive plurium cum ad eas facultates affertur quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non ſuppeditat; ſed tantum pollet quantum ratio naturæ conſentanea perſuaſerit.

Modeſté circumſpectoque judicio à PP. ſummiſque Philoſophis recedendum eſt. (Ut loquitur Cl. Brixia)

Opinio fundata in communi conſtantique omnium Populorum conſenſu quin de illius veritate aliquis unquam dubitaverit, nec modo ſit, qui dubitet pro certa tenenda eſt. (Ait ipſemet)

Mora-

Moraliter certa eſſe cuique debet ea propoſitio, quam communi calculo, tamquam veram Doctores omnes admittunt.

DE AUCTORITATE IN RE HISTORICA.

De factis coetaneis aliquando nobis conſtare poteſt ex hominum teſtimonio.

Oralis traditio, et monumenta quandoque veritatem factorum jam diu præteritorum valent indicare.

Pyrrhoniſmus hiſtoricus Politicæ, Societati, ipsimet venerandæ Religioni infenſiſſimus.

¿ Verum quæ observanda antequam de facto hiſtorico judicium feramus? Sequentia indicant aſſerta.

Sola facti poſſibilitas documentum non eſt ut hiſtorias credamus.

Sola moralis impoſſibilitas facti documentum ſufficiens non eſt ad hiſtoriam negandam.

Physica facti impoſſibilitas invictum documentum eſt ad hiſtoriam negandam, modo non poſſit comprobari miraculum adfuiſſe.

Metaphysica impoſſibilitas facti firmiſſimum argumentum ad hiſtoriam negandam.

Antequam de facto hiſtorico judicium feramus internæ circumſtantiæ, hoc eſt, quæ antecedunt, committantur, et ſequuntur attento animo meditandæ.

Etsi omnes internæ circumſtantiæ facti optime cohæreant, non ſufficit hoc ut hiſtoriam credamus.

Externæ facti circumſtantiæ ſive teſtium narrationes ad leges criticæ appendendæ antequam de facto judicium feramus.

Ut teſti nos metipſos credamus comperta nobis debet ipſius eſſe veracitas.

Cum odium, amor, timor, propriaque utilitas veritati inſidias parare conſueverint; quis, de quo, quo tempore, cur ſcripſerit nimie examinandum.

Quemadmodum in iis quæ ad ſcientiam pertinent, magis viro docto quam pio credendum; ita cum de facti exiſtentia agitur, magis viro bono quam docto ſtandum, modo sit ocularis teſtis, hiſtoricum que factum haud obſcurum.

 Pro-

Proferenti teſti contra id quod certè liberet ei proferre credendum.

Certum puto veracitatis adeſſe gradus.

Quanto arduum factum in ſe, tanto plus veracitatis in teſte requirimus.

Cum homines miranda non ſine delectu narrare conſueverint, ſi hæc nullum proximo detrimentum inferant, ad illa credenda plus veracitatis requirimus in teſte quam ad alia.

Cæteris ergo paribus ocularis aliis teſtibus præferendus.

Idem ſerto judicium proportione ſervata de coævo.

Facta per teſtes coævos probari debent.

Teſtis non ocularis criticæ ignarus nullatenus fidem meretur.

Datis uſque ex regulis, ſingularem teſtem multis nonnumquam dicimus præferrendum.

Volens de hiſtoricis factis judicium efformare veracitate, notitiaque facti in teſte quæſita, omnia alia flocci faciat ad veritatem notitiamve non conducentia.

Teſtes non coævi tantum ſane valent quantum fontes unde narrata hauſere.

Factum antiquum (defendimus cum Cl. Brixia) non niſi ex traditione nobis notum pro vero habendum non eſt, niſi vel in ſe, vel in ſuis circumſtantiis fuerit adeo ſolemne, ut ex coævis tantummodo teſtibus traditio ipſa oriri, atque in nos derivari potuerit.

DE ARGUMENTO NEGATIVO.

PRæclariſſima alia Criticorum ad fabellas rejiciendas via argumentum negativum: *in quo* nimirum *ex ſolo veterum Scriptorum ſiletio hiſtoriæ alicujus veritas, aut libri ſynceritas impugnatur.*

Ex univerſo coævorum ſilentio argumentum invictum ad hiſtoriam negandam.

Ne in praxi argumenti mere negativi fallamur, neceſſum eſt (ut ſcite animadvertit Clariſſimus Mabillonius) nedum ſingulos evolviſſe Scriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur; ſed inſuper nullatenus ambigere num aliqui nobis desint qui fuerint ipſis contemporanei.

Nec-

Nec levis in caſu conjectura, ſi ſaltem confuse noſcamus aliqua volumina hiſtorica deperdita hiſtorico coæva.

Ne optimam Mabillonii regulam univerſim argumenti negativi vim enervaſſe videatur, viamque fabularum conſtructoribus aperuiſſe, ſtabiliendum eſt hiſtorico teſti, in caſu concluſionis, minime credendum, ni compertum nobis ad ſummum veracitatis, criticæque verticem perveniſſe, propriamque denotaſſe ſententiam.

Argumenti negativi particularium fundati ſilentio vis nulla, ni aliunde probetur coævum criticis ornatum conditionibus debuiſſe, libereque potuiſſe rem ſilentio mandatam narrare.

Multum igitur intereſt (ut idem appoſite obſervat Mabillonius) prudenter ac circumſpecte uti argumento mere negativo, præſertim vero in materiis quæ ſunt alicujus ponderis ac momenti: facillimum quippe eſt inde hallucinari ex nimia videlicet fiducia, qua cuncta legiſſe, atque notaſſe aliquando præſumitur.

DE APOCRYPHIS à GENUINIS DISCERNENDIS OPERIBUS.

Antequam alia de dubio opere meditemur, Auctoris cui tribuitur ideam exactiſſimam viribus et poſſe quæramus

Tam Auctor opere indignus, quam opus Auctore ſufficiens momentum ut ſcriptum ſortem apocriphis obtineat.

Ævo Scriptoris cognito, ſcientiarum in illo ſtatus, idiomatiſque in quo opus dubium ſcriptum mature tradatur examini.

Si quæ ibi hiſtorica facta, an Auctori antecedentia in notitiam veniat.

Idem circa placita aliorum in Opere relata faciendum.

Si genuinum Scriptoris opus adſit aſſidue legere oportebit ac dubio comparare.

Probabiliter (animadvertit P. Brixia) ſuppoſititium illud opus cenſeri poſſe videtur, quod ſententias continet in re magni momenti iis plane contrarias quæ in genuinis ejusdem Scriptoris operibus ex profeſſo traduntur, quin Auctor ipſe ullo in loco lectorem monuerit, ſe ea ſuper re opinionem ſententiamque mutaſſe.

Styli uniformitas varietasve certitudidem ſolummodo moralem de ſuppoſitione vel non operis generat, ſi hæc ſolummodo contempletur.

Se-

Sedulo contemplatis internis operis circumſtantiis ad teſtium depoſitiones examinandas ſtatim deſcendendum, ductoribus regulis ſuperius ſcriptis circa externas facti circumſtantias.

QUÆ OBSERVANDA UT GENUINUS AUCTORIS SENSUS DIGNOSCATUR.

Adeunda ſunt loca in quibus Auctor ex profeſſo ſententiam protulit de re.

Ex uno alterove teſtimonio diſperso Auctoris non critice eruitur ſententia.

Cum in rebus moralibus exempla proferre liceat non tantum ex iis quæ vera ſunt et in rerum natura conſiſtunt, sed etiam ex rebus fictis et falsis, dummodo communi hominum sermone uſurpentur; perperam innumera creduntur ab Auctoribus patrocinata, quôd ea in exemplum aſſumpſerint.

Genuinum Auctoris ſenſum inveſtigamus illum se ipso comparando.

Auctoris ſensus dignoscitur ſcopo illius percepto.

Occaſionem ſcribendi quam Auctor habuit probe teneamus, ut ipſius ſcopum agnoſcere poſſimus.

Exemplaria conſulat qui meritum ac ſensum Auctoris non nativa nobis lingua ſcribentis agnoſcere voluerit.

Alicujus operis omnibus numeris abſoluta versio difficile poterit reperiri.

Præter verborum notitiam (ait Natalis Argonenſis) penitus etiam Auctoris ſui argumentum perſpectum habeat Interpres neceſſum eſt, in aliis quoque ſcientiis quas ad operis ſui ornamentum bona præſidia Auctor adhibuit, verſatus ſit.

Eodem gradu modoque, quo Auctorem vertere pergit Interpres, ad fontes é quibus ille ſuam hauſit doctrinam recurrat oportet. (ſicuti ait idem A.)

Neque vero hæc omnia ſatis eſſe arbitramus: accuratiſſime præterea inſpicienda ſunt exemplaris errata, quod niſi ſedulo perficiatur longius inoffenso pede non progredietur. (Idem).

Cæterum Interpres (pergit ipſe) graviſſimo ſit acerrimoque judicio neceſſe eſt, atque Auctoris ſui perſonam adeo ſubtiliter induat,

induat, ut unus idemque in duobus, ut ità dicam, ſimillimis corporibus vigere ſpiritus videatur.

Non ita tamen exemplaribus fidendum, ut ad interpretationes nuſquam recurratur (Idemmet).

Quidquid id eſt, à viris prudentibus, etſi linguarum peritis, numquam negligendæ ſunt interpretationes, vel ut eas in dubiis conſulant, vel ut aliorum exemplorum teſtimonio de autographi codicis integritate fiant certiores.

Atque hæc quodammodo tenenda eſt ſemita inter illos, qui cœco quodam modo ſeſe interpretationibus addicunt, atque alios qui eas indiſcriminatim reſpuunt. (Ut idem concludit.)

Summo pretio apud eruditos interpretationes habendæ.

DE AUCTORITATE NATURÆ, SEU DE EXPERIMENTIS.

Senſus occaſionem erroris præbere intellectui non ambigimus. Errat ergo Epicurus dum ſenſus integerrimos veritatis judices ſtatuit, credens, quod quidquid ſenſibus videtur, tale eſt quale videtur.

Etſi nobis compertum ſæpe ſæpius erroris occaſionem â ſenſibus venire; appoſitis debitis conditionibus, hos fallere negamus.

De rebus ſenſibus perceptis judicium formaturi, an imaginem alteratam propter objecti diſtantiam examinamus.

Medii conditionem alterationemve fugimus, ut ab experimento de veritate erudiamur.

Senſorii ſalutem inquirimus experimentis noſmetipſos credituri.

Senſuum depoſitio, modo debitæ conditiones adſint, optima ad veritatem adquirendam via; hæcque in phiſicis præcipua.

Præclariſſima Methodus illa, omnibuſque præferenda, quæ elucubrationibus phiſicis, quantum illi fas, afferta ex experimentis deducit, deductiones ad experimenta appendit.

Non oculis vulgaribus, ſed philoſophicis experimenta obſervari debent, ſic tamen ut præ oculis habeatur prætioſiſſimum præclari Ariſtotelis monitum, nempe: Quod quando experimenta ſatis cognita habebuntur, tum ſenſui magis erit quam rationi credendum.

Non debent, (ut cum Cl. Brixia dicam) falsa cenſeri quæ ſenſibus minime apparent, niſi prius certo conſtiterit vera ea eſſe non poſſe, ſi ſenſibus non reluceant.

DE METHODO ANALYTICA.

NObis perſpicue determinandum, nitideque ſtatuendum diſquiſitionis noſtræ metas.

Ante oculos poſitum quod invenire optamus: omnibus huc non ducentibus vale dicimus.

Quantum nobis fas, totum in partes, genus in ſuas dividimus ſpecies, unita ſegregamus, atque in certas claſſes reducimus.

Hujus præcepti vi tam univerſalia quam prædicamenta lumen videre.

Conſtituto quid examinandum, cujus indolis quæſtio perpendimus, an nempe Philoſophico-Theologica, an pure Philoſophica; Phiſica num, vel Methaphiſica &c.

Indole quæſtionis jam conſtituta ad fontes recurrimus ipſi conſentaneas, et quamvis Philoſophi non ſit Philoſophico-Theologicam concluſionem ex Theologiæ provintiis fulſire; Catholici tamen quid Eccleſia cenſeat agnoſcere, aſſerta proferre haud tantæ Matri inimica: quod ſi illi humanam rationem in aſſerta Eccleſiæ exitioſa videatur conducere, ſciat impoſſibile rationem optimam Eccleſiæ doctrinis inſidias parare.

Nimie tamen cavendum particularia Doctorum placita Eccleſiæ doctrinam effingere.

Quod in quacumque quæſtione nobis notum atque perſpicuum, cum eo quod latet, attente conferre et comparare debemus. Ubi autem ex hac comparatione veritas aliqua eluceſcere incipit, hæc veluti ſcintilla fovenda promovendaque ſummo ſtudio ac diligentia eſt, donec ſcilicet ad id quod quærimus perveniamus (Ait Brixia)

Plurimum intereſt cogitationes noſtras certo ordine promovere, incipiendo ſcilicet ab iis rebus, quæ cognitu nobis

ſunt

ſunt faciliores atque ex iis paulatim ac veluti per gradus ad difficiliorum magiſque abſtruſarum inveſtigationem progrediendo, in aliquem etiam ordinem eas diſponendo cognitiones, quæ ſeſe mutuo natura ſua non præcedunt. (Loquimur cum Carteſio)

Animo attento (Brixia) animadvertamus oportet, ne finis ratiocinationi imponatur, niſi ad illa univerſalia ſuiſque ex terminis nobis plane nota principia ventum revera in ipſa ratiocinatione fuerit.

Quamobrem ratiocinatione completa, ea omnia principia conſideranda ſummo ſtudio ſunt, & æqua rationis lance perpendenda. (Idem)

Denique clariſſimo Petro de Croſa dicam: poſt deductam aliquam conclusionem, attente quærere oportet ¿ quid ad principium unde deducta eſt infirmandum, quid ad conſequentiæ neceſſitatem convellendam. ipſi diceremus, ſi pro partibus adverſi, vi præjudiciorum atque educationis ſtaremus? ¿ Quæ eſſent quærenda atque ponenda firmamenta, adverſarium nacti ſi eſſemus ſubtilem & obſtinatum? ¿ Qua ratione a nobis precepta otum rudi ac imperito, non tamen prorſus ingenio carenti conſpicienda tradere poſſemus? ¿ Quid curioſus, ſagax & difficilis in Methodo noſtra deſideraret? ¿Quid livore ductus in ea carperet? Ut contra tela præviſa noſtram doctrinam undique muniamus.

DE METHODO SYNTETICA SIVE

DOCTRINÆ

SUbjectum in quo verſari volumus, ita ſecandum imprimis eſt, eaſque in partes diſtribuendum, quæ ſeparatim pertractari à nobis poſſint. (Ait Brixia, cujus ſunt quindecim quæ ſequuntur)

In quavis ſubjecti parte pertractanda, non ſolum ab universalioribus, ſimplicioribus, ſcitu facilioribus, minusque ignotis ſumendum initium eſt, atque ex his paulatim ac veluti per gradus ad

ad particularia, compoſita, ſcituque difficiliora, & minus nota eſt progrediendum, verum etiam cognitiones ipsæ ea debent lege & ratione inter ſe diſponi, ut una ex alia, perinde atque effectus à ſua causa derivetur, quæque poſterior eſt, ab ea quæ præcedit lumen accipiat

Explicandum initio eſt in quo versari volumus.

Expoſito quæſtionis ſtatu, definiendi ſunt omnes termini, qui ad dicendorum intelligentiam prodeſſe poſſunt, conficiendisque demonſtrationibus inſervire.

Terminorum definitionibus ſubjiciantur axiomata, ſi qua uſui futura ſint ad demonſtrationes conficiendas.

Si iis de rebus agere debeamus quæ nonniſi experientia præbente facem, certo cognoſci rećteque explicari a nobis poſſunt, ea omnia præmittenda ſunt experimenta, ex quibus cognitiones quas tradituri ſumus derivantur.

Hisce poſitis, ad tractationem ſubjecti veniendum eſt; quæ quidem expedit, ut per diſtinctas propoſitiones perficiatur.

Singulæ propoſitiones primo, ſi opus fuerit, explicentur, tum ostendatur ope definitionum præmiſſarum, axiomatum conceſſorum, experimentorum, aliarumque propoſitionum, quæ vel demonſtratæ antea fuere, vel pro certis jure habentur.

Si quæ ex illis propoſitionibus plures caſus habeat, ſinguli recensendi primo ſunt, tum ſeparatim ostendendi, niſi forte eorum aliquis aut clariſſimus ex ſe fuerit, aut ex jam demonſtratis ſua veluti ſponte fluat.

Tunc enim ſufficit eum breviter exponere, & qua ratione ex aliis colligatur paucis indicare.

Si pro demonſtranda aliqua propoſitione neceſſe ſit aliam principii loco aſſumere quæ neque ad rem in qua verſamur pertineat, neque ex ſuis terminis manifeſta, neque citari aliunde commode poſſit, demonſtrandæ propoſitioni præmittatur & demonſtretur.

Cuilibet propoſitioni postquam ostensa plane fuerit, ſua consectaria ſubjiciantur.

Singulis propoſitionibus, earumque corollariis ſcholia ſubjiciantur in quibus explicetur, ſi quid in ipſis propoſitionibus, & corol-

lariis

lariis occurrat, quod vel eruditionem redoleat, vel ad pleniorem dicendorum intelligentiam prodeſſe aliquomodo poſſe videatur.

Si quid occurrat, quod veritatem demonſtratæ propoſitionis labefactare aliquomodo poſſe videatur, diluendum eſt, antequam ad alias oſtendendas propoſitiones tranſitus fiat.

Plurimum juvat opiniones ſi quæ ſint noſtræ affectioni contrariæ, antequam propria ſtabiliatur ſententia nitide exponere, & ſolide refutare.

Omnino cavendum à ſcomatibus & conviciis inter contrarias concluſiones impugnandum.

Digreſſiones fugiamus oportet dum concluſiones aut ſtabilire, aut conamur evellere.

Perſpicuitatem amplectamur oportet judicia noſtra expoſituri.

Prolixitatem vitemus dum aliis opiniones noſtras aliorumve pandimus.

Ardua res, indiſpenſabilis tamen, ſic brevitatem ſequi ut vitetur obſcuritas, ſic obſcuritatem vitare ut teneatur & brevitas.

Rebus ſtudendum eſt magis quam verbis in quacumque diſciplina tradenda.

Honore laudibusque proſequimur ad barbarismos ſolecismosque Doctorem convolantem in caſibus ab Auguſtino lib. 4 de Doctrina Chriſtiana cap. 10 & 28 expreſſis.

Etſi Sancti Auguſtini momenta ad ſatietatem videantur oſtendere barbaris nonnunquam licere uti vocibus; idiomatis puritatem mirifica energia ſociantibus (quantum explicandarum natura patiatur) ſummo honore proſequimur.

DE METHODO DISPUTANDI.

IN omni diſputatione nihil ni veritatem invenire, aut inventam optemus propugnare.

Omnem igitur diſputationem ſic debemus aſſumere ut noſtra retractare in obſequium veritatis non dubitemus.

Quamcumque excuſationem ad ingenuam retractationem ponamus, nedum hæc ex ſe inſufficiens, verum & noſtro nomini aderit exitiosa.

¿Licetne tandem ad ea, quæ temere conceſſa ſunt redire rurſum? *Ita Trygetius quærebat ab Auguſtino cui ille reſpondit* [contra Academicos lib. 1 cap. 3] hoc non ſolent concedere, quos ad diſputandum non inveniendi veri cupiditas; ſed ingenii puerilis jactantia impellit. Itaque apud me, præſertim cum adhuc nutriendi educandique ſitis, non ſolum conceditur, ſed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos diſcutienda redire oportere, quæ conceſſeritis incautius.

Ab inutilibus quæſtionibus omnino inveniamur alieni.

Imprimatur Dr. Sicilia Rector.